IOANNIS CHIFLETII, CANONICI TORNACENSIS

SOCRATES,

SIVE

DE GEMMIS

EIVS IMAGINE COELATIS

IVDICIVM.

IOANNI-IACOBO CHIFLETIO EQVITI, AC REGIO ARCHIATRORVM COMITI,

IOANNES CHIFLETIVS FILIVS S.

VENIT ad Te, amantiſſime Pater, Ethicæ Philoſophiæ Princeps; & rarâ argumenti nouitate, antiquæ probitatis ac ſapientiæ Senex in publicum prodit, etiam perſonatus, vt olim in Scenam; & Tragico cothurno, vt ire iuſſus ad gelidas cicutas: teter in ſpeciem, hirſutus, obſcurâ & portentoſis additamentis implexâ imagine, quam nemo reuelare poſſe videatur, ne Oedipus quidem, niſi velit cum laruis luctari. Quo in conatu venia, ſi

 vſpiam,

vſpiam, parabilis aberranti. Sed ſunt hodieque, & erunt poſthac, vt Tute noſti, imperiti quidam Sophiſtæ, qui cùm humanitatis omnis, ac liberalium ipſi diſciplinarum expertes ſint, earum in alijs ſtudium condemnent, moleſteque ferant multa illos paſſim in ſcriptis ſuis de Poëtis, Hiſtoricis, atque Oratoribus ſpargere, atque hoc veluti condimento eruditis diſputationibus conciliare ſuauitatem, quam & Syneſio Epiſcopo inuidiſſe eiuſdem farinæ homines notat Dionyſius Petauius. Horum palato ne Attica quidem bellaria fecerint ſatis: nihil minus credibile apud illos, quàm habere iſta in receſſu grandius aliquid, quàm fronte promittant. Hi videlicet & Alcibiadis planè admirabiles Silenos parui æſtimaturi ſunt, quorum ſimulachra hiſpido ore, tetro, & aſpernabili, ſed intùs plena gemmarum, ſupellectilis raræ, & pretioſæ. Verum id quidem (neque ego inficior) in palliatis gloriæ mancipijs, ſub intonſo capite, negligentiore barbâ, & aſpero illo cultu Philoſophorum, maxima ſub-

In Dionem Syneſij.

Nicolaus Alemannus Præfat. ad Lateranenſ. Pariet.

Io. Picus Mirandul. Ep. ad Hermol. Barbar.

ſubinde vitia latuiſſe: *Non enim virtute, ac ſtudijs* (quod ait Quintilianus) *vt haberentur Philoſophi, laborabant; ſed vultum, & triſtitiam, & diſſentientem ceteris habitum peßimis moribus prætendebant.* At

L. 1. Oratoriæ Inſtitutionis.

Chryſippus non fecit *idem, nec mite Thaletis*
Ingenium, dulciq́ʒ SENEX *vicinus* HYMETTO,

vt canit Poëta, Hymetto monte terræ Atticæ SOCRATEM deſignans, & eius patriam; in quâ clarus ſapientiâ, ea virtutis heroicæ facta ante Euangelium edidit, quæ nec poſt Euangelium, ac poſt incurrentia in oculos noſtros Chriſti Domini exempla edimus. Iniurias enim nec vindicauit; nec vindicari voluit, ſed vetuit: percuſſus calce, percuſſorem ſalutauit: in vnâ verberatus maxillâ, alteram obiecit: mortem iniquiſſimam animo æquiſſimo tulit, & ante illam, quæ ſuis calumniatoribus obuentura poſt illam eſſent, certò prædixit; tritum illud, & vulgò comprobatum corrigens prouerbium: Quòd *amicis benè, inimicis malè oporteat facere*; priorem partem, vt erat, relinquens laudauit, *Amicis*

Iuuenal. Satyr. 13.

Petrus Halloix de Scriptorib. Eccleſ. Oriental. in S. Iuſtino.

Themiſtius Orat 4 ad Valentem Imp.

 benè

benè facere oportere; alteram emendauit, traijciens, & quædam addens: *Amicis* quidem *benè facere oportere; hostibus verò non malè, sed potiùs amicos nobis adiungendos hos ipsos.* Et ad minantem sibi, *Nisi te arreptum occidero*; vicissim minitans, *Nisi te*, inquit, *amicum fecero.* Ad hæc: *Mortis meditationem, veram esse Philosophiam* docuit: *Deo obediendum magis quàm hominibus: non corporum, non pecuniarum, non aliarum omnino rerum curam priùs vehementiúsque, quàm animi habendam esse, vt quàm optimus sit: non ex pecunijs, sed ex virtute pecunias aliaq́ bona omnia, & priuatim & publicè hominibus prouenire.* Vt non verear talem Philosophum, laruâ sublatâ, Tibi sistere, *tamquam vitæ Christianæ imaginem quamdam, aut saltem vmbram:* Virum sapientem cum malâ fortunâ compositum, spectaculum, quod omnium in se oculos possit conuertere. Suaue enim erit & iucundum, luce Gemmeâ nouisse illud caput, quo se cælestis animus inclusit; deforme quidem, sed veteri nube retectum, atque amoto Antiquitatis

Marsilius Ficinus in Phædonem Platonis.

Atti-

Atticæ ſipario, meâ qualicumque operâ, in clariore explicationis lumine collocatum. Facies porrò, quod ſolitus es, ſi, cùm proprijs abundes virtutibus, etiam alienas, & SOCRATICAS ames. Neque mihi dubitandum, quin ſi minùs ex hac Lucubratione ingenij laudem, pij certè erga Te animi, & officioſæ voluntatis conſecuturus ſim. Tornaci IV. Idus Februarij. M. DC. LXII.

IN IOANNIS CHIFLETII SOCRATEM, NICASII FABII CANONICI ATQVE OFFICIALIS TORNACENSIS CARMEN SENARIVM.

EST *hominis animus* ENTIVM ENTIS *fabrica,*
Diuini imago Luminis, pars Numinis,
Ad Supera promptus ſcandere, ſi noſcere
Se velit, & vnde-vnde ſit contemplarier.
Aſt corpus illi prægrauans & terreum,
Suæq; nimis quàm tenax originis,
Nihil patrocinante formâ, vtcumque ſit
Inſignis ſpecie, inſignis turpitudine.
Quis magnus ille SOCRATES *Sophiæ decus?*
Quali ille vultu, quâve fronte præditus?
Ore inuenuſtus, & labello turgidus,
Depili capite, glaber & barbâ hiſpidus,
Et crine hirſutus, & cute rudis aſperâ,
Et fluidus oculis, & tuberoſus genis,
Et nare patulus, naſo ſimus oppidò:
Talem, pol, videas, Archi-Therſiten putes.
Verùm quis animus illi, quæ vis pectoris,

Et

Et quanta virtus fuerit, nunc edissero.
Sublimis animus, sæculo maior suo,
Suæq; perquam conscius originis,
Subire solitus atria SAPIENTIÆ,
Ac templa THEMIDIS, *&* HONESTI *sacraria*
Perspicace oculo mentis perscrutarier.
Quin etiam primæ lucis ad exordia
Conuerso visus immotoq; corpore,
Tamquam reapse migrasset à corpore,
Pernoxq; perdiusq; perpeti pede,
Quas alma virtus animo parat adoreas,
Haurire, melle dulciores Attico.
Maligna si illum perstrinxit calumnia,
Si calcem impegit audaculus rabula,
Aut petulans fecit scurra contumeliam,
Patrocliano perluit si lotio
Xantippe coniux pessimarum pessima;
Nullo dolore corrupit constantiam,
Nec potuit vir natus moueri inaniis.
Ista vt pateret SOCRATIS *sapientia,*
Pythia lebete fata promens aureo,
Hoc dare virtuti voluit testimonium
Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.
Quid tum, cùm Anitus & Melitus improbi,
Rabidusq; Lycon, fraudium architectones,
In innocentem conflarunt mendacia?

** *Quid*

Quid cùm tulere iudices ſententiam?
Frigida viſceribus cùm cicuta incubuit?
Perſtitit ahena MENTIS *æquanimitas,*
Et riſit mortis inter atra nubila.
Poſt fata virtus luce maiori emicat;
Calamitatem ſera vincit veritas.
Ergo Senatum pœnitudo tenuit,
Et ſtatuit ſacro monumentum NOMINI
Manu Lyſippi dedolatam ſtatuam;
Sed quam conſumpſit magni lapſus temporis.
At tu, CHIFLETI, *Gentis lux Sequanicæ,*
Atque illuſtre decus noſtræ porrò Belgicæ,
En ſtatuis ære monumentum perennius
MAGNÆ VIRTVTI SAPIENTIS SOCRATIS.
Prome agedum Gemmas vultu ſculptas SOCRATIS,
Cunctaq; reſolue quæ latent emblemata:
Tua iſta palma eſt, & honos tibi debitus,
Ouat refictus Gemmis, Socrates, tuis.
Beata Te præcone VIRTVS SOCRATIS,
Beatæ Gemmæ, quin beata ſollertia
Tua, CHIFLETI, *Gemmarum Arbiter vnice,*
Et veræ SAPIENTIÆ *amator vnice.*
Dum reddis orbi cuncta hæc cognitiſſima,
Caſcaſq; Gemmas diſperire non ſinis,
Redhoſtiente amore Principis Sophi,
Nos alterum Te prædicamus SOCRATEM.

TABV-

TABVLA PRIMA.

TABVLA SECVNDA.

5

6

7

8

TABVLA TERTIA.

9

10

11

12

TABVLA QVARTA.

13

14

15

16

TABVLA QVINTA.

17

18

19

20

TABVLA SEXTA.

21

22

23

24

IOANNIS CHIFLETII, CANONICI TORNACENSIS

SOCRATES, SIVE DE GEMMIS EIVS IMAGINE COELATIS IVDICIVM.

TVLLIVS Auctor eſt, Zopyrum, qui ſe naturam cuiuſque ex formâ perſpicere profitebatur, cùm multa in conuentu vitia collegiſſet in Socratem, deriſum eſſe à ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoſcerent: ab ipſo autem ſubleuatum eſſe, cùm illa ſibi vitia ineſſe, ſed ratione à ſe deiecta diceret. In eodem argumento petractando, ſiue IVDICIO de IMAGINE Philoſophi, quem tota ſuſpexit Antiquitas, ſi non ſemel coniecturam modeſtè potiùs interpono, quàm vt in omnibus aſſertionem adhibere præſumam, ante omnia illos meminiſſe velim, quos hæc ſtudia delectant, quique eiuſmodi cognitionem putarint tanti; *in Gryphis, aut Ænigmatis (qualia hîc plurima) ingenij etiam laudem habere eum, qui acutè & appoſitè coniectet, aut diuinet, non tantùm qui non aberret, fallatur, aut fallat.*

Lib 4. Tuſculan. Quæſtion.

Commentar. in Aurea numismata Ducis Arschotani.

fallat. Quibus verbis eamdem ſibi veniam dari poſtulabat in veterum Numiſmatum explicatione doctiſſimus Ioannes Hemelarius, noſtri Ordinis, & Canonicus Antuerpienſis.

Lipſius de Rectâ pronuntiat. ling. Latin.

Alexand. ab Alexand. l. 2. cap. 19.

Effigies vultuſque Philoſophorum Gemmis inſculptos in annulis circumferre adeò familiare Antiquis fuit, vt etiam pro amuletis haberent, quibus ſe felices credebant, & fortunatos. Eumque morem vſurpauit vir omnium conſenſu diſertiſſimus Muretus, qui SOCRATEM ita amauit, vt in annulo geſtaret, & vetere eius imagine ſignaret: vti à Stoicis ZENO, ab Academicis PLATO, à Peripateticis, ſigillaritijs annulis geſtatus ARISTOTELES, & à pleriſque omnibus EPICVRVS, *arbitrantibus hoc genti, & nomini ſuo fauſti eſſe ominis.* Tanta erat fama viri magni, quâ tamen excidiſſe videri poterat, niſi illum Petrus Gaſſendus, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſitus, eruditiſſimo Commentario Librorum octo, ſancta & recta præcepiſſe oſtendiſſet; nec fuiſſe *cute diſtentâ*, qualem depinxit Apollinaris Sidonius, ſed eâ vitæ innocentiâ, puritate, auſteritate, quâ Philoſophorum alius nemo fuerit; eâ ingenij perſpicaciâ, iudicijque maturitate, quâ non facilè ceteris concedat: denique otij magiſtrum fuiſſe, ſed honeſti.

Lib. 9. Epiſt. 9.

L. 34. c. 2.

In Sympoſio.

Ad SOCRATEM quod attinet, Ethicæ Philoſophiæ Principem, quamquam illius *omne genus paßim ſimulachra ferantur*, nec maius vllum eſſe felicitatis ſpecimen arbitretur Plinius, quàm ſemper omnes ſcire cupere QVALIS fuerit aliquis; QVALIS *tamen* SOCRATES *eſt*, inquit Plato, *qualiſque eius mira dicendi ratio, nemo propè ad eius ſimilitudinem accedit, neque veterum, neque eorum qui nunc ſunt, niſi vt dixi atque aßimilaui. Quippe* NVLLI HOMINVM,

NVM, *ſed* SILENIS, *&* SATYRIS *ſimilis ipſe eſt, eiusque ſermones. Nam & hoc à me prætermiſſum erat priùs, ſermones eius perſimiles eſſe* SILENIS APERTIS. *Si quis enim ſermones eius audiat, videntur primâ, vt fertur, fronte nimiùm abſurdi. Nomina quippe & verba, exteriore aſpectu,* SATYRI *cuiuſdam contumelioſi habitum præ ſe ferunt. Aſinos enim fabroſque ferrarios, & ſutores calceorum, coriarioſque ſemper habet in ore, eademque ſemper dicere de eiſdem videtur, vt omnes ferè, qui minus experti peritíve ſint, verba illius irrideant. Verùm ſi intus aſpiciat quis eius ſermones, primùm quidem reperiet ſenſuum profunditatem habere ſolos aliorum omnium, & inſuper diuiniſſimos eſſe, & plurimas virtutum ſpecioſiſſimas imagines continere, atque ad plurima ſeſe extendere; imò omnia præcepta comprehendere, quibus inſtrui debet is, qui honeſtè beneque victurus.*

Eſt ita profectò magnâ ex parte, vt dicit Plato: ac, ſi ex animi ſententiâ loqui liceat, non videtur in Antiquariorum abacis quidquam reperiri poſſe obſcurius, vel illuſtrius Gemmis illis, quas non ſine admiratione contrectans, ac diuturno examine fatigatus, omnes ad Socratis imaginem, eiuſque vitam ac mores ſpectare deprehendi. In quibus explicandis nihil æquè ac breuitas placuit: manu enim ferenda ſunt, non toto ſinu, quæ ad illas illuſtrandas adferuntur, ne diutiùs pariant tædia pretioſi, nec traditi vultus. Pretioſos dico, vel maximè, ſi dulcem veterum inſaniam ſpectes, apud quos hominis in Gemmâ, quamuis parua effigies, viuorum ſubinde hominum vigentiumque pretia ſuperauit: laudandi, ſi medium tenuiſſent, nec taxatio fuiſſet in delicijs tanta.

Prima eſt in Smaragdo Gemmâ, de quâ Plinius: *Nullius,* inquit, *coloris aſpectus iucundior eſt. Nam herbas quoque vi-* GEMMA I. *L. 37. c. 5.*

 rentes,

rentes, frondesque auidè spectamus. Smaragdos verò tanto libentiùs, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret. Prætereà soli Gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant. Quin & ab intentione aliâ obscurata, aspectu Smaragdi recreatur acies; scalpentibusque Gemmas non alia gratior oculorum refectio est: ita viridi lenitate lassitudinem mulcent. Sicque non ornatus causâ, nec signandi tantùm gratiâ, Socratis imaginem è Smaragdo gestabant, verùm etiam ad propriam institutionem, atque animi & corporis remedia, vt eius contuitu non oculos modò, sed animum implerent. MARCVS ipse ANTONINVS pretium Smaragdi ad mores transtulit: *Quidquid*, inquit, *alij loquantur, aut faciant, me quidem oportet esse bonum: haud aliter, quàm si aurum, vel* SMARAGDVS, *vel purpura semper ita diceret: Quidquid alij dicant, aut faciant,* SMARAGDVM *esse me, colorem seruare meum me oportet.* Idem antè: SMARAGDVS *enimuerò, nisi laudetur, de bonitate suâ aliquid amittit?* Tum alibi de Socrate: *Alexander, Caius, & Pompeius, quid hi ad Diogenem, Heraclitum, vel* SOCRATEM? *Hi enim nouerunt res, earum causas, materias; hæc illorum principatus, & regna: ibi autem quantum ignorantiæ, tantum seruitutis.* Epictetus in Enchiridio: *Cùm aliquid negotij tibi futurum est cum aliquo, ex proceribus præsertim; ipse tibi proponito, quid in eâ re facturus fuisset* SOCRATES, *aut Zenon. Ita fiet, vt te ratio non deficiat, quâ id quod obiectum fuerit, ritè administres.*

Lib.7. de seipso.

Lib.4.

Lib.8.

Benè autem hæc ipsa, & quæ sequuntur Gemmæ, formâ eâ Socratem exprimunt, de quâ Plato, & Xenophon in Symposio, Sileno similem, caluum, tuberosæ frontis, naso simo, taurino aspectu, oculis emissitijs, eminentibus supercilijs, cuiusmodi *Silones* dicti à Sileno, qui hirsu-

GEMMÆ II. III.

hirsutis superciliјs pingebatur: Nam *quod ad* IMAGINEM SOCRATIS *sculpitur simulachrum, nisi caluum, simum, prominentiamque oculorum ostendat* SOCRATIS, *nequaquam eius dicatur esse effigies.* Synesius: *Sophronici filius ille* SOCRATES, *de se alioqui moderatè sentiens, ac in proprijs dotibus prædicandis omnium parcissimus, temperare sibi minimè potuit, quin de suâ* CVM SILENO *similitudine gloriaretur.* Qui nimirùm suis vxoribus inter se iurgantibus perurbanè illudebat, vt à tali improbitate & conuitijs abstinerent, neque dignum se, vt propter eum disceptarent, *qui esset homo tam fœdus ac deformis, quique simis naribus, recaluâ fronte.* Et fatuus ille percontator apud Atheneum, qui quærat: *An* SOCRATE *sit quispiam magis simus?* Quamquam sint ista de genere eorum, quæ plus vrbanitatis, minus amaritudinis habent, *vt si in caluitium cuiusquam dicas,* inquit Macrobius, *vel in nasum, seu curuam erectionem, seu* SOCRATICAM *depressionem. Hæc enim quantò minoris infortunij sunt, tantò leuioris doloris.* In VATINIO deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenij, ita vt animus eius dignissimo domicilio inclusus videretur. E diuerso ANTIGONVS, SILENI fronte, optimis moribus, cuius nepos ALEXANDER, cùm esset formâ supra hominem augustiore, lanceam tamen in conuiuas suos torsit, atque ex duobus amicis alterum feræ obiecit, alterum sibi. Adeò verum est sæpè mentiri frontem, vt est in communi Prouerbio, & suâ Socrates docet. Pingitur à Sidonio, *comâ cadente,* ob eius caluitiem; ipseque narrare solebat, *visum sibi dormienti per insomnium, Platonem mutatum in Cornicem, qui suo capiti assultans* GLABRAM CALVAM *rostro scarificaret.* Omnium, qui vmquam extiterunt, Philosophorum, CALVISSIMVM *& mansuetißimum* vocat

Hugo Ætherianus de Hæres. lib. 3. c. 18.

In Encomio Caluitij.

D. Hieronymus aduers. Vigilantium.

Lib. 5.

Velleius Paterculus lib. 2. cap. 69.

Seneca l. 3. de Irâ cap. 22.

Lib. 9. Epist. 9.

Athenæus lib. 11.

In Encomio Caluitij. Synesius, qui quantumuis pro caluitio certet, ac sapientiæ notam esse decernat, tamen plerisque omnibus veterum aliam sedisse sententiam, doctissimè probat *Lib. contra Ictum calumniæ sect. 2. serie 3. c. 15.* Theophilus Raynaudus, & caluitium ob intectum caput, & faciliorem cerebri incommodationem, in mentis emotæ argumentum cessisse. Sanè, vt idem adnotauit, Moriones dictos *Caluos* ex legibus XII. tabularum eruit Nonius Marcellus; & Persius agens non cum homine è cuius capite abessent capilli, sed cum stolido & fatuo, ait:

Satyr. 1. —— *nugaris cùm tibi* CALVE
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.

Apud Petronium; *Eumolpus & ipse vino solutus dicta voluit in* CALVOS *iaculari.* Inde tot dicteria & scommata in Socratis caluitiem, quæ vt in seram posteritatem iret, non solùm libris ac litteris expressa, sed etiam Gemmis, quas palàm est cum illis conuenire. Perinde ac si glabro capite aliquid detraheretur villosæ hirsutæq́ue animi prudentiæ, ob quam à Platone tantoperè celebratur. Sed *Marcil. Ficinus Comment. in Platonem.* homini, à quo nihil nisi magnum & incomparabile prodijt, vitæ seueritas, & aliorum scelerum correptio frequens, multos & magnos viros, vt solet veritas, infensos reddidit, ANYTVM, MELITVM, LYCONEM præsertim, ciues in Republicâ potentissimos: THRASYMACHVM, & POLIVM, & CALLIAM, Oratores: ARISTOPHANEM prætereà Comicum, atque acerrimum insectatorem. Quod & Gemmæ testantur, vt mox dicam.

Virgil. 6. Æneid. Illi—*plurima mento*
Canities inculta iacet.

Quod proprium erat Philosophorum, etiam eorum, qui solo habitu virtutis studium præferebant, atque *in boni*

pon-

ponderis barbâ, quod notat Arnobius, ſapientiam collocabant. Vnde Iuuenalis de illis loquens:

Satyr.14.

BARBATOS *licet admoueas mille inde* MAGISTROS.

Et Perſius:

— BARBATVM *hoc crede* MAGISTRVM
Dicere.

Vili palliolo tegitur, cuius paupertatem commendat idem Iuuenalis non ſine ſarcaſmo in Athenienſes:

Satyr.7.

——*Et hunc inopem vidiſtis Athenæ,*
Nil præter gelidas auſæ conferre cicutas.

Agite, inquit Marſilius Ficinus, SOCRATIS perſonam ante oculos ponite, *Macilentum, aridum ſquallidumque videbitis: hominem ſcilicet naturâ melancholicum, vt fertur, atque hirſutum: extenuatum inediâ, incuriâ ſordidum: nudum prætereà, id eſt, ſimplici & vetere opertum palliolo.* Denique, vt cum M. ANTONINO abſoluam, & quàm pauciſſimis: *Cùm* SATYRONEM *vides*, SOCRATICVM *tibi finge conſpectum dari.*

Lib. 10. de ſeipſo.

Vnde non immeritò Ioannes Faber non dubitabat, quin aliquammultæ annulares Gemmæ, in quibus caput SILENI & FAVNI ſimul viſitur, SOCRATIS & ALCIBIADIS imagines referrent. In pleriſque non eadem oris ſimilitudo; ſed venia danda eſt artificum induſtriæ, quibus ſatis fuit *Socraticam caluitiem* & *ſimas nares* non vno, nec eodem filo cœlaſſe.

GEMMA IV.
In imagines Illuſtrium Fului Vrſini.

Quæ dum reperiuntur in Gemmis pro Galeâ Palladis, non nuda ornamenta ſunt, aut Grylli, quod picturæ genus ridiculum erat, Antiphilo auctore. In nummis ſiquidem Athenienſium paſſim videre eſt Palladis caput galeatum, quòd ea ciuitas, deorum iudicio, vt Apollodorus auctor eſt, vel Cecropis, vt alij aſſerunt, Palladi conſecrata fue-

GEMMA V.
Plinius l.35.c 10.
Ludouicus Nonnius in Græciam Goltzij.

fuerit, atque in deæ honorem Α'θῆναι vocatæ. Nec frustrà; nulla enim vrbs Pacis Belliq́ue artibus æquè inclaruit. Ac præterea, quod maximè est in rem nostram, Petrus Seguinus, S. Germani Lutetiæ Antistes, & Fidemij Abbas in ditione Guisiæ, Diœcesis Cameracensis, vir humanissimus, necnon *veterum Numismatum intelligentiâ, & selectâ horum copiâ, quam possidet, notißimus* (quâ laude, vt ceteræ taceantur, meritò cohonestatur à Iacobo Sirmondo in Anti-Tristano) cùm anno superiore semel atque iterùm Tornacum venisset, mecum communicare dignatus est antiquam Sardonychen, in quâ caput Socratis cum inscriptione ΑΘΗΝΗ. Vt palàm sit, Athenienses ingratos dum in viuis ageret Socrates, ab eius morte, irâ, vt fit, in pœnitentiam versâ, tanti ciuis institutione atque incunabulis ita gloriatos, vt illum ipsum pro Genio Tutelari, & Galeâ Deæ Præsidis assumerent, ad excelsam viri indolem indicandam, quæ nullis eorum frangi contumelijs potuerit, nullis sarcasmis, nullis irrisionibus succumbere. Erat enim præstantis genij, inuictæq́ue sententiæ; magnâ animi sublimitate carpentes se atque obiurgantes contemnebat, fortis vbique & constans, sui victor, quæ omnium maxima victoria est; *in contrarium affectui motum se torquendo, se ipse sine lapsu seruabat & inuictum.* Eoq́ue laudum omnium, ac sui contemptu obtinuit, vt sapientissimus iudicaretur, non humano elogio dumtaxat, sed etiam voce ipsius Oraculi:

Plutarchus de non irascendo.

Α'νδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Mortalium vnus SOCRATES *verè sapit.*

GEMMA VI.

Ex imo collo Palladis dependent MELITVS, ANYTVS, & LYCON, tres eius aduersarij, de quibus Libanius eâ Declamatione, quæ est eiusdem Socratis Apologia: *Graue*

ne admodum fuerit post MELITVM, *& maledicta ab eo conficta*, ANYTVM *superuenisse, qui maligno & longo sermone vteretur: & rursus super illo* LYCONEM *nullo abstinuisse artificio, vt vestrûm vnus moreretur.* Sed, vt præclarè Seneca: *Qui aduersus sæuißimos casus se extollit, & ea mala, quibus alij opprimuntur, euertit, ipsas miserias* INFVLARVM *loco habet. Quando ita affecti sumus, vt nihil æquè magnam apud nos admirationem occupet, quàm homo fortiter miser.*

Lib. de Consol. ad Heluiam.

Magna sunt illa quidem, & admiratione digna, sed nullâ re mirabiliorem videri Socratem aiebat Cato Maior, quàm quòd vxorem nactus difficilem, illam tamen comiter & humanè habuisset. *Quod ad* XANTHIPPEM *attinet*, exclamat Synesius, *proh contemptum! vt* SOCRATE *vtebatur! Nihil tamen eorum impediebat, quo minus ille in eo contemptu lætissimè degeret.* In Onyce Thomæ Treuor Angli, cuius ectypon aliàs ad me misit Ioannes Michaël Ritus, nobilis pictor, atque harum Antiquitatum peritus studiosissimusque, memini me obseruasse iuncta capita AQVILÆ, SOCRATIS, & ipsius XANTHIPPES, addito etiam vasculo, quo virum priùs maledictis insectata, fœdâ etiam humoris eluuie perfudit. Quodque ipse importunæ feminæ factum ioco elusit: nimirum XANTHIPPEM tonantem, imbrem etiam effusuram.

GEMMÆ VII. VIII. IX.

In Dione.

Raderus Parte 2. Viridarij Sanctorum.

Dicenti Alcibiadi, non esse tolerabilem vxorem adeò morosam: Atqui, ait, ego ita hisce iampridem assuetus sum, ac si iugiter sonum trochlearum audiam. An verò tu non toleras clamore perstrepentes ANSERES? Illo dicente: At mihi oua pullosque pariunt; Et mihi, ait, XANTHIPPE filios gignit. Hinc Socrates in Gemmâ cum capite

GEMMA X.

Laërtius in eius Vitâ.

pite Anſeris, & vxore Xanthippe, quæ ore diducto perſtrepere videtur. Vti apud Tullium Anſerem inuenias pro eo accuſatore poſitum, *qui obſtrepat tantùm, noceat tamen nihil.*

Orat. pro Sext. Roſcio.

Viſitur & Socrates ſolus cum roſtro aquilæ, *haud dubio victoriæ auſpicio*, atque olorinâ imagine ſubinde etiam capiti impoſitâ, de qua Plutarchus: *Non exigua, aut ignobilis, ſed cùm magna, tum peruetuſta pars diuinationis eſt* AVSPICIVM. *Ideò in genere Euripides* AVES *deorum* PRÆCONES *appellauit: in ſpecie autem* SOCRATES OLORVM CONSERVVM *ſe fecit.* Et Syneſius Aquilæ Cygnique Symbola ad Facundiam, & Philoſophiam tranſtulit: AQVILAM, inquit, CYGNVM*que vnà eſſe, & vtriuſque* DONA *poßidere auibus quidem eſt à naturâ denegatum, homini verò à Deo permiſſum: cuicumque &* LINGVÆ FACVNDIA *pollere, &* PHILOSOPHIÆ *compoti eſſe conceditur.* Ipſe Socrates, cùm per ſomnium vidiſſet oloris pullum ſibi in gremio plumeſcere, quique continuò exortis alis in altum auolans ſuauiſſimos cantus ederet; poſtridie cùm PLATO ſibi à patre commendatus eſſet, hunc eſſe CYGNVM, quem viderat, dixit.

GEMMÆ XI. XII. *Q. Curtius lib. 4. Lib. de Solertiâ animalium. & Cicero l. 1. Tuſcul. quæſt. In Dione. Laërtius in Platone.*

Maiorem difficultatem habet adiunctum caput elephanti cum proboſcide, palmâ, caduceo, & capitibus ANYTI, MELITI, atque ipſius XANTHIPPES; niſi dicamus elephantum deformitatem ſuam præclaris dotibus compenſare, in eoque excellere, quòd à ſe, naturâ ſuggerente, & morum, & virtutum documenta præbeat, vt multa ab eâ, tamquam à morum idæâ, homines deſumere, & imitari coacti fuerint. *Illi*, inquit Plinius, *quæ etiam in homine rara, probitas, prudentia, æquitas.* Quæ omnia in Socratem belliſſimè cadunt, à quo, quantumuis

GEMMÆ XIII. XIV. XV. *Pierius Præfatione ad l. 2. Hieroglyph. Lib. 8. c. 1.*

uis deformi, Ethica initium ſumpſit: quique hortari ſoleret iuuenes, *vt ſe in ſpeculo frequenter contemplarentur, vt, ſi formoſi eſſent, digni eâ ſpecie fierent, ſin autem deformes, eruditione turpitudinem tegerent.* Nec ſine myſterio crediderim cutem illam cancellatam in capite elephanti tam accuratè expreſſam eſſe; quòd nimirum Socrates, alienæ virtuti inuidos cum muſcis compararet: ait enim apud Senecam: *Vobis vacat aliena ſcrutari mala, & ſententiam ferre de quoquam? Quare hic Philoſophus laxiùs habitat? Quare hic lautiùs cœnat? Papulas obſeruatis alienas, quod* MVSCARVM *eſt, ipſi obſiti vlceribus.* Plinius verò de elephantis: *Setarum nullum tegumentum, ne in caudâ quidem præſidium abigendo tædio* MVSCARVM *(namque id & tanta vaſtitas ſentit) ſed* CANCELLATA CVTIS, *& inuitans id genus animalium odore. Ergo cùm extenti recepere examina, arctatis in rugas repentè* CANCELLIS, *comprehenſas enecant. Hoc ijs pro caudâ, iubâ, villo eſt.* Socrates de ſeipſo vbi ſuprà: *Illuſtrata eſt virtus mea per ea ipſa, per quæ petebatur. Produci enim illi, & tentari expedit: nec vlli magis intelligunt quanta ſit, quàm qui vires eius laceſſendo ſenſerunt.* Hinc & palma in manu elephanti, victis ſcilicet moroſitate XANTHIPPES, & calumnijs ANYTI, & MELITI, quibus inſimulari timuit ipſe Plato, virtute animoque remiſſior: quippe quem tradit Iuſtinus martyr non auſum fateri veram de Deo doctrinam, ne idem ſibi accideret, quod Socrati: PLATO *autem*, inquit, *acceptâ, vt videtur,* MOYSIS *& aliorum Prophetarum de* VNO *&* SOLO DEO *doctrinâ, quam in Ægypto didicerat, propter ea, quæ* SOCRATI *acciderant, veritus ne ipſe quoque* ANYTVM *quempiam, aut* MELITVM *contra ſe apud Athenienſes ſuſcitaret, accuſantem, & dicentem:* PLATO *iniuſtè agit, & curioſa*

Laërtius in eius Vitâ.

Lib. de Vitâ beatâ.

L. 8. c. 13.

In Cohortatione ad Græcos.

riosa tractat, deos, quos ciuitas recipit, non recipiens, CICVTÆ METV *variam quamdam & fucatam de diis instituit orationem.*

Additur prætereà Gemmæ Socraticæ caduceus cum inscriptione, ΕΥΕΛΠΙΣΤΟΥ. hoc est, CONFIDENTER, seu CVM FIDVCIA, BONA FIDE, SINE FRAVDE. Πρέπει δὲ τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσι, τῆς μὲν ὑψηλῆς ἐλπίδος ἔχεσθαι· δέχεσθαι δὲ εὐμενῶς ὅτι περ ἂν δοκῇ τῷ Θεῷ. *Bonos siquidem ac fortes viros decet altæ spei adhærescere, ac planè quidquid deo visum fuerit, admittere.* Quam æquanimitatem, si quis alius, Socrates assecutus videtur, hæc ipsissima verba vsurpans apud Platonem paulò ante mortem: Ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα ἀπιέναι, ἐμοὶ μὲν ἀποθανουμένῳ, ὑμῖν δὲ βιωσομένοις· ὁπότεροι δὲ ἡμῶν ἐπὶ τὸ ἄμεινον πρᾶγμα ἔρχονται, ἄδηλον παντὶ, πλὴν ἢ τῷ Θεῷ. *Sed iam hora est abeundi, mihi quidem, vt moriar, vobis autem, vt vitam agatis: vtri porrò nostrûm ad melius eant, omnibus incertum est, nisi Deo.* Idem, Synesio teste, *Deo se morem gerere profitebatur, neque ei* DIFFIDENDVM aiebat. Hinc Seneca: *Si conuiuere etiam Græcis iuuat, cum* SOCRATE, *cum* ZENONE *versare; alter docebit te mori, si necesse; alter, antequam necesse erit.*

Libanius Declamat. 16.

In Dione.

Maiore fortassis otio eliciat quispiam ab hisce Gemmis, quid sibi velint illa verba, quæ Nonius Marcellus è Varrone citat, Ænigmati similia: *Se circumspexisse, atque inuenisse, cùm dormire cœpisset, tam glaber quàm* SOCRATES, *galbam esse factum ericium è pilis albis cum* PROBOSCIDE. Quo loco mendosissimo, ait Petrus Victorius legi debere pro galbam, *caluam*: loqui verò Varronem de quopiam, cuius forma valdè in somno immutata fuerat, & cùm caluus fuisset antequam dormitum isset, posteà experrectus inuenisset se (quæ res admirationem ipsi meritò magnam

Lib. 24. Variar. Lect. c. 1.

gnam attulit) capillatum. Eraſmus in Adagijs legit: *Tam glaber, quàm Socratis callum. Erat,* inquit, *corporis patientiſſimi, quod ad omnem laborem occalluerat, ambulabat nudis pedibus, dormiebat humi. Hinc iocus in* SOCRATIS CALLVM. *Non ignoro quid narrent de Gallo deplumato, quem Diogenes, ni fallor, immiſerat in ſcholam Platonis. Sed magis placet, vt legamus callum, facilis enim eſt tranſitus à* C *in* G *cognatam litteram.* Hæc illi, ſed neuter ſatisfacit. Quidquid ſit, mos fuit Athenienſium, eiuſmodi Ænigmata proponere non tantùm Gemmis, ſed etiam Numiſmatis, in quibus apud Goltzium videre eſt minutulâ formâ ad latus noctuæ, ELEPHANTVM, CAMELVM, caput, vt videtur, ARIETIS, & CICADAM. Platonicum quoque inſtitutum eſſe docet * Syneſius, *ſub vilioris argumenti ſpecie, quæ ſunt in Philoſophiâ magna atque præſtantia, diſſimulare*; quamquam idem antè ab Ægyptijs obſeruatum: quod & Sphinges illæ pro templis inſinuabant, & eum tradendi morem ab illis ad Græcos primus Pythagoras creditur tranſtuliſſe.

Chiliad. 5. Centur. 1.

**Præfat. ad Librum de inſomnys.*
Io. Picus Mirandul. Præfat. in Heptaplũ.
Reuclinus l. 2. de Arte Caballiſticâ.

Laruæ in Gemmis ſub imagine SOCRATIS, vt Comici Senis in ſcenam inducti, & conuitijs proſciſſi ab Ariſtophane. *Vulgus,* inquit Lucianus, *huiuſcemodi vt plurimum eſt naturæ, vt cùm res cauillatione & maledicentiâ agatur, præcipuè gaudeat, cùm ea, quæ abſolutiſſima eſſe videntur, mordicùs arripiuntur, quemadmodum olim gaudebat, cùm Ariſtophanes & Eupolis, irriſionis gratiâ* SOCRATEM *in ſcenam introducerent, comœdiaſque abſurdas quaſdam de illo commentarentur.* Tanta eſt laſciuia & leuitas plebeiorum iudiciorum. Sed cùm circumferretur, & crebrò nominaretur, publicè à Poëtâ Comico irriſus ἐν νεφέλαις, quærentibus peregrinis, quis ille eſſet SOCRATES; ipſemet ſurrexit,

GEMMA XVI.
Ælianus l. 2. variæ Hiſtoriæ.
Laertius in Socrate.
In Reuiuiſcentibus.

& vltrò ſpectandum ſe, & irridendum omnibus propinauit. Monitus ab amicis, vt in ſpectaculum non veniret, ſe venturum dixit: aut enim falſa ſibi obiectum iri, aut vera: falſa contemnenda, vera emendanda. * Generoſus profectò animus in homine pagano, quem rarò etiam in Chriſtiano reperias. Sed in alijs offendiſſe, nonnullis viſus eſt, neque adeò in iuſtorum virorum venire cenſum vllo modo poſſe. Et SOCRATICOS *Cinædos* perſtringit * Iuuenalis, ſeu molles Philoſophos, qui clàm fœdis libidinibus dediti erant. Quamquam non deſint Scriptores grauiſſimi, qui velint hanc probroſam fœditatem viro innoxio per calumniam fuiſſe impactam, ductumque illum in Areopagum, eiuſdem de quo Paulus Apoſtolus, criminis accuſatum, vt teſtatur S. Iuſtinus Philoſophus & martyr. Sic enim de illo in Apologiâ ad Senatum, poſt medium: Σωκράτης τὰ αὐτὰ ἡμῖν ἐνεκλήθη. Καὶ γὰρ ἔφασαν αὐτὸν καινὰ δαιμόνια εἰσφέρειν, καὶ οὓς ἡ πόλις νομίζει θεοὺς, μὴ ἡγεῖσθαι αὐτόν. SOCRATES *eorumdem criminum eſt inſimulatus, quorum nos. Etenim illum dixerunt noua introducere dæmonia, & quos vrbs deos eſſe cenſet, eum non putare.* Et paulò pòſt, eumdem Socratem cohortatum fuiſſe populares ſuos ad cognitionem DEI IGNOTI, ſic ſcribens: Πρὸς Θεοῦ τοῦ ἀγνώτου αὐτοῖς διὰ λόγου ζητήσεως ἐπίγνωσιν προὐτρέπετο εἰπών. Τὸν δὲ πατέρα, καὶ δημιουργὸν πάντων οὔθ' εὑρεῖν ῥᾴδιον, οὔθ' εὑρόντα εἰς παντὰς εἰπεῖν ἀσφαλές. *Ad Dei autem ipſis ignoti cognitionem, per rationis inueſtigationem cohortatus eſt, dicens: Patrem verò, & omnium opificem, nec inuenire facile, nec inuentum ad omnes diuulgare ſecurum eſt.* Et mox ſubijcit CHRISTVM ex parte cognitum à Socrate in illis verbis: Χριστῷ δὲ τῷ καὶ ὑπὸ Σωκράτους ἀπὸ μέρους γνωσθέντι. Quod ideò fortè dicit, quòd ſaltem confusè videatur Socrates Deum vnum agno-

Raderus Parte 2. Viridarij Sanctorum. Theophil. Rainand. lib. 1. de virtutib. Sect. 1. c. 2. De Diſciplina morali diſt. 3. quæſt 2. art. 1.

**Satyr. 2.*

Beſſarion, Budæus, Petrus Godofredus, Petrus Halloix, Marſilius Ficinus, & alij.

agnouisse, & ita CHRISTVM, quà DEVS est. Sic sensit Iustini illustrator Petrus Halloix, qui & eam versat quæstionem: *An* SOCRATES *eâ de* DEO *&* CHRISTO *imbutus fide fuerit, vt eius sperari salus possit?* Multisque in vtramque sententiam allatis, concludit affirmatiuam non prorsus esse improbabilem. Sed Hieronymus Aleander iunior, libello de Symbolo Ecclesiæ ex veteri gemmâ, vero propius existimat cæcutijsse Ethnicos illos Philosophos ad diuinæ veritatis lucem, & si quid auri è cælestis sapientiæ fodinis eruerunt, illud vanissimis opinionibus adiectis in scoriam vertisse, quemadmodum & de sacris Litteris hæretici hodieque faciunt.

Tom 1. & altero Illustrium Ecclesiæ Orientis Scriptor.

Mirum alioqui profectò esset, videre Socratem bibonum & epulonum more, *cingentem viridi tempora pampino*, vti extat in Onyce Alberti Rubenij τῦ μακαρίτυ: mirum, inquam, illum hoc habitu, & victus seueritate victâ, qui tametsi esuriens, assentari numquam studuerit, qui, Laërtio teste, *parcè adeò ac temperatè vixit, vt cùm Athenas pestis sæpenumerò vastaret, solus ipse numquam ægrotauerit*; qui denique aiebat, *se hoc à ceteris hominibus differre, quòd vt edant, viuant ceteri; se autem edere vt viueret.* Si tamen Hermippo fides apud Atheneum: *Acrocorinthum, sibi ab Antigono Rege commissam, dum assiduis compotationibus ad ebrietatem vsque indulget, simul cum vrbe ipsâ Corintho amisit.* Et apud eumdem: SOCRATES *Platonis conuiuio abire non vult, quamuis Eryximachus, Phædrus, & alij quidam iam discesserint; sed vigil perstat cum Agathone & Aristophane, & ex argenteo poculo bibit (ingentia namque pocula sic rectè quispiam vocauerit.) Idem pòst è phialâ ingeniosè rursum bibit. Ex ijs, qui vigilabant, duo pòst dormitantes nictarunt, priorem tamen Aristophanem somnus*

GEMMA XVII.

Horat. l. 3. Carmin. Ode 25.

Lib. 4.

Lib. 5.

mnus oppressit: at cùm iam dilucesceret, SOCRATES, *qui istos sopiuerat, cum Agathone surrexit, abijtque in Lyceum.* Quo planè habitu repræsentatur in Gemmâ, cum Bacchico coronamento, volumine in manu, & pallio Philosophico. Vnde Timon de eodem Socrate apud Libanium: BIBIT *aliquis totos dies: adolescentem sustinet lasciuum homo philosophari simulans, & lacernam vestitus* CORONATVR. Lucianus in Bis accusato, vbi conqueritur de multitudine Philosophorum: *Nusquam non* BARBA PROFVNDA, *&* LIBELLVS *in sinistrâ.*

GEMMA XVIII. *Laërtius in eius Vitâ.* *Lib. de Saltatione.*

Sæpiùs item saltabat, eam exercitationem plurimum ad tuendam bonam valetudinem conducere existimans, sicut & Xenophon in Symposio testatur. Et Plutarchus de Sanitate tuendâ: SOCRATI *exercitatio corporis non iniucunda fuit* SALTATIO. Itemque Lucianus: *Ipse* SOCRATES, *vir omnium sapientissimus, si Pythio hoc illum testimonio cohonestanti fides habenda est, non tantùm* SALTATIONEM *laudibus extulit, sed illam quoque discere non erubuit, aut grauatus est, plurimum tribuens venustæ concinnitati & elegantiæ, tum apto motui, nec non mouentis afformationi. Nec veritus est iam* NATV GRANDIOR *saltationem inter serias habere disciplinas.* Caput canis à tergo est, per quem iurabat Socrates in Phœdro, tamquam reminiscentiæ simulachrum, cùm Lysiæ orationem memoriæ tradidisset. In Phœdone autem PER CANEM itidem iurabat, cùm putaret fidem & obsequium præstandum ijs, qui rerum habenas in ciuitatibus moderantur.

Pierius lib. 5. Hierogl.

GEMMA XIX. *Valerius Max. l. 8. cap. 8.*

Otium, quod industriæ, & maximè studio contrarium videtur, subnecti breuiter debet: non quo euanescit virtus, sed quo recreatur. Alterum enim etiam inertibus vitandum; alterum strenuis quoque interdum appetendum est: illis

illis ne vitam eneruem exigant; his vt tempestiuâ laboris intermissione, ad laborandum fiant vegetiores. Idque vidit, cui nulla pars sapientiæ obscura fuit, SOCRATES; ideoque non erubuit tunc, cùm interpositâ arundine cruribus suis, cum paruulis filiolis ludens ab Alcibiade visus est. Seneca de Tranquillitate animi: *Nec in eadem intentione æqualiter retinenda mens est: cum pueris* SOCRATES *ludere non erubescebat.* Præclari habitus fuisse scribit Laërtius: nudus in Gemma non ore modò, sed habitu totius corporis Silenum refert, quem adeò breuis staturæ depingit Lucianus, corpore obæso, & ventriculoso. Et Cassiodorus de eodem disertissimè: *Congregantur multæ res ad personas comiter exprimendas, vt est illud:* SOCRATES *filius Sophronici, cuius mater est Phanerete,* CALVVS, VENTROSISSIMVS. *Hæc enim omnia* SOLVM SOCRATEM *indicare, ac definire noscuntur.* Galenus in Methodo medendi: *Quis nescit* SOCRATEM *non idem significare ac* RESIMVM, *sed* SOCRATEM *totius esse substantiæ nomen, reliquorum autem nominum nullum de totâ corporis substantiâ dici, non* SIMVM, *non* VENTROSVM, *non* CALVVM; *sed horum aliud figuræ nasi est nomen, aliud defectus capillorum in capite, aliud magnitudinis esse ventris.*

In Philopseude.

In Psalm. 72.

Lib. 2.

SOCRATIS caput, iuncto altero imberbi, & supernè caluaria pro tegmine capitis vtriusque, qualem SOCRATEM ostendit Menippo Æacus apud Lucianum in Dialogis mortuorum: *Vidésne,* inquit, CALVVM *illum?* At *omnes,* respondet Menippus, *hîc calui sunt,* ossa nempe mortuorum, & CALVARIÆ carnibus renudatæ. SIMVM *illum dico,* subiungit Æacus; cui Menippus: *Etiam hoc simile omnium est, nam & simi omnes sunt.* Quibus iocis Socratem ipsamque adeò mortem omnia æquantem lacessit,

GEMMA XX.

 irri-

irriſor vitæ & mortis, maſtix hominum deorumq́ue.

Gemmæ xxi. xxii.

Nec minore grypho Socratem videre licet cum gallo gallinaceo, quem moriens Æſculapio immolari præcepit, iunctis capitibus equi & arietis. Ludicrum, vt apparet emblema, ſed cui nullum ex ſerijs facilè prætuleris. Ac de Gallo quidem Ioannes Reuchlinus de Arte Cabaliſticâ ad Leonem X. Pontificem Maximum. *Æſculapio,* inquit, SOCRATES *ſapientiſſimus Gallum offerendum vouit, vt eſt in Platonis Phædone; non vt ſibi corpus ſanaret, qui iam morti adiudicatus venenum biberat, ſed vt parenti Apollini, hoc eſt, primo & incorporeo ſoli, æternæ vitæ diſpenſatori, animum tranquillè morientis, cum lætitiæ iubilo, & Pæane redderet. Nam gallus Apollini Phœbo, qui Sol nominatur, ſacer eſt, horarum & diei lætus nuntius. Æſculapius autem dictus eſt, à veteribus Iubilatio Apollinis, victoria, & triumphus, qui Pæan appellatur, quod paruam ceſſationem, & quietem poſt liberationem nominarint. Eâ enim ætate conſueuerunt inituri pugnam priùs Marti, & poſt pugnam victores Apollini Pæana referre. Quàm aptè igitur* SOCRATES *in Æſculapio, qui eſt Pæan, Solem vitæ datorem veneratus ſit iamiamq́ue moriturus, doctiſſimorum hominum recta iudicia viderint, dignum ſanè ratus, & optimo cuique officioſum, huius mundi Pythonem maximo ſerpente victo, & pedibus calcato, quando per mortem celeriter ad veram vitam iter capeſſitur, Æſculàpio quidem, id eſt, Pæana celebrare. Sic Orpheus vetuſtiſſimus vatum, & coætaneus iſtorum deorum (nam cum Tyndaridis, & Hercule nauigaſſe perhibetur) in Hymnis cecinit:* Ἰητὴρ πάντων ἀσκληπιὲ δέσποτα παιὰν, ἐλθὲ μάκαρ σωτὴρ βιοτῆς τέλος ἐσθλὸν ὀπάζων. *Id eſt: Saluator omnium Æſculapi, domine Pæan, veni beate ſaluator, vitæ finem bonum præbens.*

Lib. 2.

Aries ingratos Athenienſes notare videtur; ſeu κριοῦ

διακο-

δ[illegible]ονίαν: *Arietis ministerium*, vt est in veteri Prouerbio, quod Suidas, & Zenodotus referunt dici solitum de officijs in ingratos collocatis, quia nempe aries cornibus ferit pascentem, vti Athenienses Socratem; quod & illis exprobrans in Phædone apud Platonem: *Reor autem*, inquit, *quod & vos latere non debet, nullum adhuc vobis bonum in hac vrbe contigisse, quàm hoc* MEVM MINISTERIVM, *quod Deo placens exhibeo.*

Equus supereminet: *Viris enim*, EQVIS*que (vt dicitur) si honestatem tueri, ac retinere sententia est, decertandum est.* Folium vitis ore gestat, fortè ad iudicandum supremi in Socrate iudicij potestatem, quâ sontes, & ignaui nodosâ vite percutiebantur. Iuuenalis de Mario:

Cicero l.2. de Officijs.

Satyr. 8.

Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Pascere mercedes alieno lassus aratro.
NODOSAM *post hæc frangebat vertice* VITEM,
Si lentus pigrâ muniret castra dolabrâ.

Hincque adeò notat Ioannes Macarius in Hagioglyptis, Romæ in Iuniano Sarcophago, & quodam alio, sub cingulo satellitis appensum ficus aut vitis folium, *Quod fortè*, inquit, *tunc satellitum erat signum, vt ab alijs dignoscerentur.* Sunt & iacula, quæ immotâ mente ad mortem vsque immisit in perditos mores Atheniensium: itemque Caduceus, quòd MERCVRII *donum sit animos ex efferatis cicures facere.* Pierius Valerianus vidit in onyce gemmâ, argumento non multùm absimili, equinum caput, humanam faciem in pectus barbatam, gruinos pedes, caudam pulli gallinacei cum inscriptione FAB. *Ex quo*, inquit, *figmento, virtutes eas facilè coniectes, quibus* FABIVS *Cunctator insignis fuit. Nam Principatum in bello ex equino capite; prudentiam ex humano pectore barbato; prouidentiam & cuncta-*

Themistius Orat. 4. ad Valentem. Imp.

L. 4. Hieroglyph.

 tionem

tionem, atque etiam ſpeculationem ex pedibus gruinis; victoriam ex pulli gallinacei caudâ interpretamur. Et verò cum equis etiam Philoſophos comparari ſolitos, vti tardos ingenio cum aſinis, ad oculum oſtendit vetus hæc Gemma, in quâ

Ὁ πάντα πάνυ Ξενοκράτης ἀνὴρ γεγωνώς,

XENOCRATES *vir ille, qui vnus omnibus fuit omnia*, vt patet ex eius inſcriptione; tantoque rarior eſt, & quantiuis pretij, quod Xenocratis nihil extare ſcribat Ioannes Faber, præter eius Hermen ſine capite cum inſcriptione: ΞΕΝΟΚΡΑΤΗΣ ΑΓΑΘΑΝΟΡΟΣ ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΟΣ. Laërtius in eius Vitâ hebetem ingenio, ac tardum adeò fuiſſe ait, vt dum illum Plato cum Ariſtotele conferret, *alterum fræno, alterum diceret indigere calcaribus*; illudque: *Cui* EQVO *quem* ASINVM *iungo!* Teſtis eſt Sidonius, *crure collecto*, pingi ſolitum: nec ratio in promptu, niſi fortè, vt in hac ſardâ, ab æmulo Ariſtotele, aut vno aliquo ex eius ſectatoribus, aſello inſidens repræſentatus fuerit *crure colle-*

In Comment. ad Imag. Illuſtrium.

Lib. 9. Epiſt. 9.

collecto, atque habitu mali ſeſſoris, cùm ſæpè ad illum Plato diceret: XENOCRATES *Gratijs ſacra facito.*

Sequentis Gemmæ, in quâ SOCRATES cum PLATONE, meminit Ioannes Faber, & *artificioſiſſimè inciſam* appellat, *quamque credibile ſit à quopiam vtriuſque ſtudioſo geſtatam fuiſſe*: Fortaſſis à Senecâ Philoſopho, qui cultum eiuſmodi imaginum ſibi vindicat, & Gemma ipſa lucem ab eius verbis. Ait enim: *Quidni ego* MAGNORVM VIRORVM *&* IMAGINES *habeam, incitamenta animi? Quidni illos honoris causâ ſemper appellem? Quam venerationem præceptoribus meis debeo, eamdem illis præceptoribus generis humani, à quibus tanti boni initia fluxerunt. Si Conſulem videro, aut Prætorem, omnia, quibus honor haberi ſolet, faciam: equo deſiliam, caput aperiam, ſemitâ cedam. Quid ergo? Marcum Catonem vtrumque, & Lælium ſapientem, &* SOCRATEM *cum* PLATONE, *& Zenonem Cleantemque in animum meum ſine dignatione ſummâ recipiam? Ego verò illos veneror, & tantis nominibus ſemper aſſurgo.*

GEMMA XXIII.

Epiſt. 64. in fine.

Socratem cum ſocijs in carcere depictum fuiſſe innuit Lucianus de Morte Peregrini, hiſce verbis: *An expectatis dum pictor quiſpiam accedens vos depingat, quemadmodum* IN CARCERE *iuxta* SOCRATEM *ſocij depicti ſunt?* Tale quid Gemma repræſentare videtur, in qua ſedens Philoſophus vtrâque manu dextrum mulieris adſtantis brachium amplectitur, veluti vltimum vale dicens affectibus. Quod ab Socrate morituro, nouiſſimâ verecundiâ, & modeſtiſſimè præſtitum: *Venerunt*, inquit Plato in Phædone, *&* MVLIERES DOMESTICÆ, *quibus ea, quæ volebat, cùm mandauiſſet*, SOCRATES, *etiam vt abirent, iuſſit.* E regione figura lugentis habitu inſidet ſcuto, vt Germanus miles in nummis Domitiani, quo videlicet indicatur Socratis

GEMMA XXIV.

cratis casu prolapsa Atheniensium virtus. Adest & comœdia, quæ innixa ludicro instrumento, capiti velum obducit, seu pœnitens in eumdem dictorum & factorum. Quartus oculis manum admouet, & ingemiscit, non tamquam in hominem iustum, sed tamquam in ipsam iustitiam animaduerteretur: quæ persona non videtur alteri conuenire, quàm vndecim virorum lictori, qui allatâ cicutâ, ita Socratem apud Platonem postremùm alloquitur: *Nunc scis quem tibi nuntium adferam. Vale, atque annitere quæ necessaria sunt pro viribus facilè ferre. Et simul his dictis*, subiungit Plato, *abibat* LACRYMANS. Columna in medio, Socraticæ gloriæ sublimitatem effert, prisco more, & ab ipsis Atheniensibus vsurpato, quo non statuæ tantùm, sed & Columnæ ijs erigebantur, qui de Rep. benè meriti erant; vel certè Philosophi in ipso carcere iamiamque morituri constantiam & fortitudinem indicat, de quâ Seneca, summus vbique Socratis admirator: *In* IPSO CARCERE *disputauit, & exire (cùm essent qui permitterent fugam) noluit: remansitque vt duarum rerum grauissimarum hominibus metum demeret*, MORTIS *&* CARCERIS. *Eodem illo vultu, quo aliquando solus triginta tyrannos in ordinem redegerat*, CARCEREM *intrauit, ignominiam ipsi loco detracturus. Neque enim poterat* CARCER *videri, in quo* SOCRATES *erat.*

Epist. 24.

Idem l. de Consol. ad Heluiam.

Primus de vitæ ratione disseruit, ac primus Philosophorum damnatus moritur: *Clarus sapientiâ, eodem semper visus vultu, nec aut hilari magis, aut turbato.* Quem nemo vmquam, vt Xenophon auctor est, *impium quidquam, vel iniustum, aut facientem vidit, aut docentem audiuit:*

Qui partem acceptæ sæua inter vincla cicutæ
Accusatori nollet dare.

Plinius l. 7. c. 19.

Lib. 1. de Memorabilib. Socratis.

Iuuenal. Satyr. 13.

Adeò

Adeò non labefactarunt virum probum & constantem, vt ne concusserint quidem Atheniensium conuitia & criminationes, quos deterrimi parricidij ita mox pœnituit, vt statim ab eius morte Palæstras & Gymnasia clauserint: & alios quidem exilio, MELITVM verò morte condemnauerint; SOCRATEM porrò æreâ statuâ honorarint à Lysippo factâ, quam in Pompeo, celeberrimo ciuitatis loco, posuerunt. ANYTVM denique peregrè profectum Heracleotæ ipsâ die edicto exterminarunt. Ad extremum Plutarchus Libro de *Inuidia & Odio*, cum maiori etiam exaggeratione pœnitentiæ Atheniensium: *Eos*, inquit, *quorum calumnijs* SOCRATES *fuit oppressus, vt extremè malos ita oderunt, & auersati sunt ciues, vt neque ignem eis accenderent, neque interrogantibus responderent, neque in balneo vnà lauarent, sed quâ illi lauissent, eam vt pollutam iuberent à ministris effundi, donec illi odium istud non ferentes, se suspenderunt*. Atque hæc SOCRATIS numquam interitura gloria: hic ANYTI, MELITI, LYCONIS, & Aduersariorum ei obloquentium

Laërtius in Socrate.

FINIS.

APPRO-

APPROBATIO CENSORIS.

V*Idi Philosophorum sapientissimum multoties in Gemma exhibitum, eumdemq́; legi, subtili perspicuitate explicatum Opusculo, cui Titulus,* Ioannis Chifletij Canonici Tornacensis Socrates, siue de Gemmis eius imagine cœlatis Iudicium, *quod prælo dignissimum censui, velut appendicem ad Gemmas Abraxeas ab eodem Auctore pari felicitate explicatas. Quod attestor Bruxellæ Idibus Martij.* M. DC. LXI.

Antonius Sanderus Presbyter,
S.Th.Licent.&c.Lib.Cens.